DE DIFFUSA NEPHRITIDE CHRONICA, PRAECIPUE RESPECTO DECURSU MORBI POST INTERMITTENTEM FEBRIM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIII. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO LENZ,

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

F. HONSELMANN, DRD. MED.
P. EGERMANN, CAND. MED.
G. TOEPPER, STUD. JUR.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS.

sistentia renum deminuta est, capsula facile detrahi potest. Substantia corticalis tumet, capsulae Malpighianae plerumque sunt amplificatae. In tubulis uriniferis fibrinosae inveniuntur exsudationes.

Secundum stadium, exsudationis, significatur exsudatione in cellulas epitheliales tubulorum contortorum, quae passim guttulas adiposas ostendit. Epithelia, exsudatione tumefacta, dilatationem pluribusque locis expansionem canaliculorum varicosam efficiunt, qui, vasa comprimentes, tumefaciunt quidem et dilatant substantiam corticalem, sed etiam sanguine eam privant, et ea re colorem fulvum efficiunt. Renes hoc in stadio semper sunt amplificati, albuginea, crassior facta et non pellucida, facile detrahi potest, et plerumque levis plus minus pallida est.

Pyramides, quarum transitus in corticem non jam satis distinctus est, eo magis ab illo differunt rubido colore. Intra tubulos contortos tumor jam descriptus epitheliorum et cylindri fibrinosi inveniuntur, qui aut adipose degenerare incipiunt, aut peracto hoc degenerationis processu in granulosas massas adiposas convertuntur. Similiter capsulae sese habent Malpighianae, quarum pars non afficitur, dum alterius epithelium partis exsudatione tumefactum, guttulis adiposis impletum apparet. Glomeruli compressi sanguine vacuefiunt.

Commutationes renum in stadio tertio, atrophiae, maxima ex parte praecedentibus processibus efficiantur necesse est. Cellulae earumque contenta in adipem et detritum adiposum mutata sunt, et ubi haec degenerationis producta urina jam educta sunt, una cum impletis canaliculis vacuefacti inveniuntur, qui jam collapsi sunt, illis supra hos promi-

nentibus; quare fit, ut superficies granulosa appareat. Dum parenchyma tabescit, plerumque hyperplasia textus interstitialis exsistit, quo diminutio renum magna ex parte aut omnino compensari potest; saepissime autem magnitudo renum atque pondus est imminutum. Capsula, quae eundem atque in stadio secundo adspectum praebet, valde cum parenchymate coaluit, nec facile ab eo separari potest. Soliditas renum est aucta, color fulvus, luteus. Voluminis deminutio praecipue atrophia substantiae corticalis efficitur, quae instar marginis tenuis pyramides circumdat. Contentum canaliculorum et capsularum Malpighianarum dilatatorum epithelia adipe completa esse microscopium nos docet; in collapsis massae non plane fibratae aut detritus invenitur adiposus. Glomeruli in capsulis non jam cognosci possunt. Textus fibrosus interstitialis non solum circum canaliculos uriniferos et capsulas Malpighianas large oritur, quae straturis cellularum concentricis aut textus fibrosi maturi tegit et inter se separat, sed interdum etiam tunica propria canaliculorum et capsularum in latum marginem hyalinum mutata invenitur.

Inter hasce commutationes renum anatomicas, quae non semper tam late profunduntur et tantopere procedunt, sed saepe in tabulis contortis tantum prope pyramides animadvertuntur, complicationes interdum aut residua processuum praeteritorum inveniuntur, excempli causa abscessus parvi, tumores fibrosi, apoplexiae, cystae.

Quod attinet ad aetiologiam, animadvertendum est, nullum sexum, nullum aetatem, nullum quaestum, nullum ordinem hoc morbo liberum esse. Uti autem mares, ex

negotiis et studiis, quibus causis nephritis diffusa adducitur, magis expositi sunt quam feminae, et eadem de causa viri magis quam infantes et senes, et ordinum inferiorum homines magis quam nobiles, ita hic morbus saepissime in proletariis invenitur, in maribus magis quam in feminis, saepius in hominibus aetatis mediae, quam ante sive post illam. Rarissime homines antea prorsus sani morbo afficiuntur; plerumque vigor roburque jam antea debilitatum est malis aut chronicis aut acutis, quae sanguinis degenerationem adduxerunt. Nec minus quam illa valent ad morbum efficiendum vitae ratio et clima, ita ut excempli causa in Anglia et Scotia, ubi abusui spirituosorum homines magis indulgent quam in Germania, et ubi propter nebulas crebras arthriticorum numerus maximus est, nephritis diffusa saepissime exsistat. Similiter regionibus variis non pariter saepe nephritis diffusa sequitur intermittentem; nam quum Frerichs in ora maris Germanici in magno hydropicorum numero post intermittentem ne unum quidem invenerit, qui laboraret ex renibus, inter causas nephritidem diffusam efficientes in oris maris Baltici maximam febris intermittens habet vim.

Quemadmodum nonunquam in intermittente sub finem paroxysmi urina crassa, sanguinolenta, albuminosa redditur, quod albumen in apyrexia non secernitur; et quemadmodum alias exigua albuminis aut sanguinis massa una cum cylindris fibrinosis per totum intermittentis decursum, vel in apyrexia, invenitur, dum febri sublata et albumen et cylindri non jam videntur, sic interdum intermittentem statim sequitur nephritis diffusa chronica.

In intermittentis epidemiis, aeque ac in scarlatinae,

quae saepe nephritidem diffusam acutam efficit, modus ac ratio maximi est momenti. Plerumque intermittens, morbum renum excitans, aut tertiana apparet incompletis paroxysmis per longius temporis spatium tenentibus, in quibus aegroti frigore sequente calore vexantur, sudorem tamen non emittunt, aut paroxysmi sunt completi, numero exiguo, forma tertiana aut quartana. Tres vel quattuor febris tentationes sequuntur complures hebdomades, dum aegroti turbationem valetudinis exiguam negligentes negotia tam diu obeunt, donec simul cum albuminuria tentationes hydropicae oriuntur. Postremo etiam nonnunquam observatur, in variis formis per menses vel etiam per annos impetus febris exsistere, et cessante febri demum intumescentias hydropicas oriri. Hic in nephritide post intermittentem hydrops celeriter ac late procedere solet. Urina fere nunquam sanguinem continet, saepe autem pro rata parte abundat salibus uricis et crystallis acidi urici, et semper fere albuminis quantitas est magna.

Causae commutationes renum anatomicas post intermittentem efficientes sunt primum hydraemia, deminutio cellurarum sanguinis rubrarum, deinde aggestio et formatio pigmenti, quae, quum defluxum sanguinis impediant, turbationes renum circulationis efficiunt, sed ita ut nullam aliam habeant vim, quam quae pertineat ad locum. Quodsi malum nimis processerit, fieri potest, ut urinae secretio prorsus impediatur.

Simili modo atque intermittens maxime valet perfrictio et permadefacio iterum iterumque repetitae ad efficiendam nephritidem diffusam, et homines, qui omni-

bus tempestatis molestiis expositi et male induti diutius in aëre frigido et humido sunt coacti commorari, hoc morbo praemature solent obire.

Etiamsi abusu diureticorum acrium, cubebisque et balsamo copaivae temere adhibitis nephritis diffusa chronica adduci potest, haud tamen frequenter istis momentis morbus efficitur. Saepius contra suppurationes diuturnae, caries imprimis et necrosis ossium caussae morbi habendae sunt, quippe qui saepissime his, quae diximus, malis conjunctus adsit. Sin autem respicimus, in corpore talibus morbis debilitato organa permulta inflammata inveniri, contendi jure mihi videtur posse, illis ossium morbis vim causalem nephritidis efficiendae secundariam tantum tribuendam esse.

In dyscrasiis, ut in arthritide, rhachitide, scrophulosi, syphilide saepius nephritis diffusa invenitur.

Non satis declaratum est, quomodo fiat, ut devoratis nonnullis substantiis venenatis morbus nonnunquam oriatur; praecipue illud post intoxicationem saturninam observatum est. Fortasse plumbum renes similiter destruit, ac cantharides et balsamica membranam mucosam.

Hypertrophiam cordis simplicem, impulsu illo, quo sanguis ejicitur, aucto, albuminuriam et deinde nephritidem diffusam adducere, secundum eas, quas Frerichs instituit, inquisitiones minime est verisimile. Quamquam si tamdiu affuit, ut vi musculi cordis debilitata sanguinis circulatio deminuatur, in nephritide diffusa illius quoque ratio habenda erit. Maxime vero valvularum vitia, quibus circulatio plus minus turbatur, summi esse ad hoc malum momenti, nemo concedere dubitabit.

Symptomata nephritidis diffusae chronicae saepe per longum temporis spatium se continent in albuminuria et hydraemia. Jam adspectus hominum hoc morbo affectorum tristissimus est, facillimeque eo nos adducit, ut malo gravissimo, quodque totum organismus afficiat, atteratque, eos laborare existimemus. Color faciei, ita ut membranae mucosae, pallidus est, cutis frigida atque sicca, ipsique aegroti sunt debiles, tristes atque languidi sese trahunt. Dolores in regione renali non semper adsunt, neque constanter ad urinam reddendam aegroti urgentur. Quantitas ejus in stadio secundo plerumque est normalis, aut paullo tantum minus quam normalis, in stadio tertio etiam est aucta, quamquam numerus capsularum Malpighianarum et canaliculorum haud exiguus munere suo fungi non jam potest. Id ex eo, opinor, declarari potest, quod serum sanguinis albumine caret, et quod ea re facilius per vasorum membranas in canaliculos uriniferos transsudari potest. Praeterea pressio sanguinis collateralis aucta fortasse transsudationem auctam efficit. Si aegroti tentationibus febrilibus subito afficiuntur, quantitas urinae imminuitur, aeque ac sub finem morbi, postremis vitae diebus.

Urina, plerumque acida rarius neutralis vel adeo alcalica, colore est languide flavo, saepe in subviridem transiens, pondere specifico levis, quod casibus praestantibus usque ad 1,005 aut 1,004 deminui potest. Processus inflammationis aliis in organis existentes pondus urinae paullo tantum majus reddunt. Quod pondus exiguum praecipue ureae deminutione efficitur, tum salium, imprimis natrii chlorati. Tenuis pro rata in urina quan-

titas ureae non tam in eo posita esse videtur, quod retineatur in sanguine, quam quod non satis large producatur. Salium contra imminutionem ex quantitate eorum exigua in cibis contenta, quibus vescuntur aegroti, pendere verisimile est, nec minus ex transitu alkali chloratorum in transsudata hydropica, si adsunt. Secundum inquisitiones, quas Vogel et Liebermeister instituerunt, alkali chlorata, simul atque hydrops celeriter imminutus est, in urina exstiterunt quantitate normali vel supra modum longe aucta.

Ureae quantitas per viginti quattuor horas collectae usque ad Grammas 5, 4 vel adeo 3 imminuitur, natrii chlorati quantitas per idem tempus usque ad Grammas 4, 3, 2, minus; albuminis massa est varia, nonnunquam usque ad Grammas 20 aucta, saepe autem Grammas tantum 2, 3, 4 efficiens; vulgo albuminis pondus Grammas 10 adaequat. Acidi urici quantitas est deminuta, raro est aucta. Substantiae organicae normalem modum non implent, quod praecipue observatur in salibus phosphoricis. In urina quod subsidit plerumque continet cylindros fibrinosos, qui initio morbi epitheliis, postea autem granulis vel guttulis adiposis teguntur; nonnunquam cylindri neque epitheliis nec granulis nec guttulis adiposis induti, sed nudi sunt, in epitheliis autem illis diversa degenerationis stadia animadvertuntur.

Cylindri fibrinosi ab illis aegrotis excreti, qui antea intermittente laboraverant, ceteris praestant infiltratione perspicua salium uricorum, quae infiltratio efficit, ut addito acido acetico acidi crystalli urici appareant.

Praeterea in urina quod subsidit vulgo exiguum nu-

merum puris corpusculorum monstrat, et magnam epitheliorum quantitatem ex canaliculis uriniferis et vesica urinaria.

Immani albuminis ex sanguine excretione hydraemia efficitur, ita ut pondus sanguinis specificum usque ad 1,020 deminui possit, et serum sanguinis ex venis in telam cellulosam secernatur et hydrops oriatur. Quae tumescentiae hydropicae quum ceteris corporis in partibus, tum maxime in facie, extremitationibus inferioribus, scroto tegumentisque abdominis oriuntur. Implentur abdomen cavumque thoracis transsudatis. Quae tumescentia saepe mutabilis tum crescit, tum aut singulis in partibus aut prorsus abit, praesertim si urina largiter excernitur; mox autem denuo oritur.

Non semper una cum detumescentia hydropica albuminis in urina quantitas imminuta est, neque augetur, quum intumescentia crescit, qua re apparet, praeter albuminis jacturam etiam alia, adhuc ignota, momenta hydropem efficere.

Haec inter symptomata malaque quae ea sequuntur, vires aegroti magis magisque minuuntur, nec digestio solum turbatur, sed exsistit etiam saepe nausea, vomitus, diarrhoea vehemens atque profusa.

Prout caussae nephritidem variae excitarunt, spatium morbi est varium. Paucae igitur hebdomades sufficiunt ad exitum letalem efficiendum, si increscentibus perpetuo symptomatibus, imprimis hydrope, magna corporis cava eorumque contenta effusionibus illis hydropicis afficiuntur. Nephritis intermittentem sequens mensibus aliquot aut annis post letum adducit. Plerumque morbus per diu-

turnum tempus tenet vel complures annos, quibus aegrotus, quum valetudine utatur tum meliore tum pejore, interdum ad sanitatem videtur revocari, serius ocius tamen malo huic succumbit.

Inter morbi decursum crebro complicationes oriuntur, quae vitam saepius in periculum vocant, quam ipsa nephritis. Praestantissimae inflammationes pulmonum, cordis, membranarum serosarum habendae sunt, pleuritis, pericarditis, peritonaeitis. Quae quamvis perniciosae sint, ac saepe aegrotos necant, raro tamen primo impetu exitum letalem adducunt, et plerumque in cadaveribus residua inveniuntur similium processuum praeteritorum.

Jam porro catarrhi bronchiorum semper fere nephritidem diffusam comitantur, nec magis tamen quam inflammationes supra nominatae praeter secretionem largissimam alium praebent decursum ac alioquin. Catarrhi membranae intestinorum mucosae praestant profusa transsudatione serosa et diuturnitate; non tamen omnibus in regionibus aeque saepe diarrhoeae exsistunt. Nam quum aliis locis rarissime adsint, aliis in plerisque casibus inveniuntur. Crebro intermittens caussa diarrhoea efficiens videtur esse, et quasi profusam exsudationem paene dysentericam efficere, quae tam saepe ad febrim intermittentem comitatam atque perniciosam accedit.

Structurae commutationes cordis saepius exsistunt, quum post pericarditidem cor pericardio coalescat, aut valvularum vitia post endocarditidem remaneant.

Hypertrophiam ventriculi sinistri circulatione in renibus perturbata et impulsu quo sanguis ejicitur eadem de caussa aucto saepe adduci videmus, quamquam numerus

haud exiguus casuum ad hypertrophiam exsistentem demonstrandam allatorum eo minus momenti est, quo hypertrophia saepius jam in secundo morbi stadio observatur, ubi graviores in renibus circulationis perturbationes nondum exstiterunt. Aliis contra in casibus hypertrophia non animadvertebatur, etiamsi' renes prorsus atrophici erant et hepar imminui coepit.

Hepatis et splenis commutationes non raro inveniuntur.

Jam intoxicationem uraemicam crebro exitum quidem letalem efficere cognitum est, dissentiunt tamen adhuc observatores inter se de ratione ac via perniciosae vis. Quod priore tempore probabatur, uream supra modum in sanguine auctam uraemiam efficere, nunc valde in dubium vocatum est; quodque Frerichs contendit, uream intra sanguinem fermento adhuc ignoto mutari in ammoniacum carbonicum et id intoxicationem uraemicam excitare, non ad omnes casus pertinet. Item Treitz ammoniacum carbonicum caussam uraemiae esse existimat, affirmat tamen, uream non in sanguine sed in intestinis dissolvi, unde resorbeatur. Inquisitionibus de hac re institutis satis perspectum est, fieri quidem posse, ut utroque modo intoxicatio uraemica exsistat, attamen jure existimandum est, alia quoque praeter ureae dissolutionem momenta adesse, quae perniciosam illam intoxicationem adducant. Traube excempli gratia symptomata uraemiae deducit ex commutationibus cerebri ejusque sanguinis quantitate: concentratione enim sanguinis imminuta et nimia aortae impletione oedemata effici, quae, quum venas minus resistentes comprimant et sanguinis quantitatem deminuant, cerebri anaemiam adducant. Prout cerebrum magnum aut

medium hisce commutationibus afficiatur, coma aut convulsiones exsistere, sin autem utraque cerebri pars noxiis illis exposita sit, coma una cum convulsionibus oriri. Non tamen haec quoque theoria ad omnes pertinet casus.

Multis in casibus, quorum numerus variis regionibus differt, haec uraemiae symptomata non observantur, sin autem exsistunt, imminutam urinae secretionem sequi solent. Symptomata nervosa aut paralytica se praebent aut irritatoria; illa praecipue pertinent ad sensorium et nervos sensuales, raro motorios, haec magis ad nervos motorios forma convulsionum, nunquam ad nervos sensuales.

Si intoxicatio uraemica lente et paullatim, id quod rarius fit, exsistit, aegroti initio doloribus capitis, languore, vomitu pertinaci vexantur. Intoxicatione procedente sopor in coma convertit, in quo aegroti moriuntur.

In casibus acutis pro sopore convulsiones epilepticae exsistunt, quae longioribus aut brevioribus intervallis ortae cum comate alternant. — Morbo ad exitum faustum vergente, impetus paullatim rarescunt, et sopore minus arto symptomata uraemiae sensim tolluntur. Saepe autem fit, ut hebdomadibus aut mensibus post intoxicatio uraemica recrudescat. Plerumque intoxicatio, ut supra jam diximus, exigua urinae secretione exsistit, nihilominus tamen inquisitiones, quas Brightius et Rosenstein instituerunt, demonstrant, uraemiam oriri posse, etiamsi aut normali urinae quantitate ureae secretio imminuta tantum est, aut aequali pro rata parte et urinae et ureae secretione; etiam utraque largiter excreta exsistere pot-

est uraemia, et contra diuturna anuria completa interdum non observatur.

Simili modo ac nonnunquam cernendi sensus paullatim aut subito hebescit et exstinguitur, Rosenstein casum observavit, in quo aegrota, postquam febri intermittente laboravit, sensim nervi acustici affecta est paralysi, quae in dies aucta auditus completam paene defectionem effecit. Qui status, quum per menses aliquot permansisset, sublatus est, normali intra unam diem audiendi facultate restituta; paucis autem diebus post ad statum priorem aegrota reducta est. Increscentes intumescentiae hydropicae aut imminutae nihil valuerunt neque ad augendam neque ad debilitandam audiendi facultatem; subito autem levi febri remittente orta, inter quam oedemata sua sponte magna ex parte abierunt, auditus acie vel aucta denuo revertit, decem tamen diebus post aeque subito discessit.

Quod attinet ad therapiam, inprimis providendum est, ut homines nephritide laborantes noxiis prohibeantur, quae morbum effecerunt, eumque sustentare possunt. Remedium nephritidis specificum adhuc ignotum est, et quamvis morbus inflammatio renum habendus sit, tamen apparatu antiphlogistico medici haud saepe utuntur, praecipue quum sit timendum, ne curatione, qua aegroti debilitari possint, hydraemia augeatur. Itaque praecipue venaesectiones tum tantum adhibendae sunt, quum indicantur, subito hyperaemia in periculum vita adducta.

Ut indicationi morbi respondeamus, deductiones in cutem et intestina institutae sunt, quae, quum nonnunquam vim habeant ad symptomata faustam, vix tamen

morbum removere aut impedire possunt, quominus renum inflammatio procedat. Frerichs utitur acido tannico ter per diem ad grana ij—vj conjuncto cum aloë; paullum tamen eventus splendet. Curatio igitur praecipue symptomatica esse debebit, quae vero, quamvis ipsius nephritidis curatio minime sit prospera, saepe praesidium praebet in longum tempus praestantissimum.

Organismus quum permagnam partem jactura albuminis malisque illam sequentibus labefactetur, id summa diligentia nobis curandum est, ut detrimentum hoc, quantum fieri potest, compensantes sanguinis dycrasiam prohibeamus. Itaque cibi faciles digestu corpusque corroborantes, ut lac, caro assa, ova aegrotis sunt praebendi, cerevisia bona et vinum commendanda sunt. E medicamentis ferri et chinii praeparata prospere adhibentur; motio in aëre puro modica non est negligenda.

Contra anasarcam diaphoresis vehemens, balneis calidis, quae involutiones in stragula lanea sequuntur, effecta, semper paene prospero eventu adhibetur. Balnea temperatione sint 28—29 ° R.; sudatio continuetur per horas 2—3. Remedia interna fere nunquam sudationem excitant.

Interdum, si diaphoresis, nullo neglecto studio, effici non potest, deductiones sive per tubum intestinalem sive per urinam nobis instituendae erunt. Etiamsi drasticis sumptis renes non lacessuntur, tamen intestina ipsa saepe ad secretiones profusas inclinant, et digestio drasticis saepe perturbatur, quam quidem noxam homines hoc morbo laborantes minime sustinent; quapropter maxime providendum est, ne drastica nimis adhibita aegrotis

noceant. Potissimum inter drastica colocynthides, gutti, elaterium adhibenda sunt, et quidem colocynthides aut tincturae forma aut decocti drachmarum ij ad uncias vj, quater per diem cochlear, gutti forma pilularum grani j, ter per diem, elaterium ad grani sextam partem usque ad secundam partem.

Si drastica probabilia non sunt, diuretica maximas praebent utilitates, quibus autem prudenter et caute utendum est, quia plurimis horum medicamentorum vis inest renes lacessens, quod omni modo est evitandum. Quare acria vulgo non sunt adhibenda, diuretica vegetabilia minus noxia sunt, in quibus libertissime scilla, herba digitalis cum cremore tartari praebentur. Nitrum cum aequa tartari depurati parte, ter quaterve per diem ligulam, opportunissimum est, quum simul deductiones per tubum intestinalem ut per urinam efficiat.

Quum hydrops omnibus hisce remediis resistit, et quum timendum est, ne gangraena cutis oriatur, incisionibus paucis sed longis et satis profundis id praecaveri et aqua removeri potest.

Contra dyspepsiam amaris utendum est; si acida praevalent alkali utantur aegroti, magnesia, conchis praeparatis, aliis.

In diarrhoeis levioribus acidum tannicum, catechu, alia commendanda sunt, gravioribus plumbum aceticum cum opio, ferrum sulphuricum.

Inflammationes membranarum serosarum et organorum parenchymatosorum et antiphlogisticis et deductionibus in cutem tractandae sunt. — Contra symptomata intoxicationis uraemicae propter alcalescentiam sanguinis hypo-

theticam Frerichs auctore acida vegetabilia adhibentur, imprimis acidum benzoicum; eventus tamen spem persaepe fefellerunt. Si per vires aegroti licet, venaesectio non evitetur; drastica et fomenta frigida in capite posita illam sequantur.

Historia morbi.

Carolina Brandt, adhuc innupta, nata viginti duos annos, parentes non jam vivos habet. Patrem hydrope, matrem apoplexia periisse dicit; germani quattuor adhuc viventes prospera utuntur valetudine.

Primis aetatis temporibus, praecipue anno primo aegrota parum increscebat, nihilo tamen minus justo tempore pedibus uti potuit. Exceptis morbillis, quibus tredecim annos nata per duodeviginti hebdomades laboravit, usque ad annum quintum decimum in ullum morbum sese incidisse negat, quo tempore intermittens quartana eam invasit, quae per annum tenuit. Impetus completi stadia frigoris et caloris praebebant, quae semper vehemens sudoris secretio sequebatur. Postquam hoc e morbo convaluit, anno octavo decimo iterum per totius anni spatium intermittente quotidiana vexabatur, cujus impetus aeque ac antecedentis completi erant. Utroque morbo maxime debilitatam se esse aegrota contendit. Intumescentiae neque faciei neque pedum illo tempore animadvertebantur. Anno aetatis vicesimo aegrota primum menstruavit, et reverterunt menses intervallis consuetis multitudine normali usque ad auctumnum anni praeteriti, quo ex tempore plane cessant.

Proximis ante C. nat. hebdomadibus vertigine, aurium

sonitu, caligine oculorum aegrota per tres hebdomades vexabatur, quae symptomata molesta, abhinc decem hebdomades, intumescentiae sequutae sunt in regione malleolorum, imprimis sub vesperum animadversae, quum per diem aegrota stetisset. Faciem aut palpebras inferiores unquam intumuisse aegrota negat, urinam unquam abnormi colore aut multitudine fuisse non observavit. Vomitus aut urinae crebra cupiditas non affuit, digestio non turbata est, diarrhoeae non exstiterunt; catarrhus bronchialis jam diutius duravit. Propter pedum intumescentiam aegrota nono mensis Martii die in nosocomium hujus urbis recipi vult.

Status praesens: Aegrota statura vix mediocri, corpore non satis firmo, musculis languidis, panniculo adiposo parum exculto, cutis pallida in manibus cyanotica, membranae mucosae exsangues. Pedes et crura usque ad genua tument; maxima intumescentia in dorso pedis et regione malleolorum invenitur. Thorax bene conformatus inspiratione aequaliter et satis late extenditur. Utraque mamma bene conformata languet et pendet. Areola mammae pigmento infecta non est, papilla mammae parum prominet; colostrum exprimi non potest.

Sonus percussionis in thorace et anteriore et posteriore plenus, excepto sono in fossa supraspinata dextra, ubi obtusior et brevior auditur. A fronte utraque respiratio vesicularis normalis, in fossa supraspinata dextra puerilis; aegrota tussiente rhonchi sibilantes audiuntur, in partibus inferioribus et dextro et sinistro pectoris latere crepitatio humida crebra sonitu bullularum mediocrium aut parvarum.

Sonitus venarum animadverti non possunt.

Cordis obtusio, paullum infra modum, a costa quarta oritur, cordis ictus debilis infra costam quintam in linea parasternali observatur. In valvula mitrali primus sonus paullum diffisus, ceterum cordis soni sunt puri, quamquam perdebiles. Pulmonalis arteriae sonus secundus est acutus. Pulsus arteriae radialis exiguus non est citatus.

Digestionis turbationes non observantur; defaecatio et appetitus normales sunt.

Hepatis obtusio in linea parasternali efficit Cm. octo et dimidium, in linea mammillari et axillari Cm. novem.

Lien Cm. octo et dimidium latus in fronte pertinet usque ad arcum costarum.

Abdomen modice extensum ubique molli et miti est consistentia, tumor, qui uterus gravidus haberi possit, non palpitandus est. Renes compressione non dolent.

Urinae naturam postea describemus.

Quod attinet ad therapiam balneis tepidis quotidianis sequente sudatione et praebitis pilulis Blaudii et oleo jecoris aselli effectum est, ut vires aegrotae aliquanto augerentur et intumescentiae crurum paullo imminuerentur; leve tamen palpebrarum inferiorum oedema exstitit. Complicationes adhuc non ortae sunt.

Urina chartam explorativam rarius non immutavit, caeruleam vulgo rubefecit; quantitas ejus, plerumque imminuta, raro tantum per horas viginti quattuor CC. 1300 excessit. Nonnulli numeri qui observati sunt eo tempore, quo multitudo urinae minor fuit, hic una cum pondere specifico proferantur:

Die XI.	mensis Martii quantitas fuit CC.				520,	pond.	spec.	1008
„ XII.	—	—	—	—	1040,	—	—	1009
„ XIII.	—	—	—	—	1130,	—	—	1008
„ XIV.	—	—	—	—	1010,	—	—	1009
„ XV.	—	—	—	—	880,	—	—	1009
„ XVI.	—	—	—	—	1150,	—	—	1009
„ XVII.	—	—	—	—	910,	—	—	1009
„ XVIII.	—	—	—	—	910,	—	—	1010
„ XIX.	—	—	—	—	1480,	—	—	1008
„ XX.	—	—	—	—	860,	—	—	1009
„ XXI.	—	—	—	—	770,	—	—	1009
„ XXII.	—	—	—	—	610,	—	—	1009
„ XXIII.	—	—	—	—	960,	—	—	1009
„ XXIV.	—	—	—	—	950,	—	—	1009
„ XXV.	—	—	—	—	930,	—	—	1009

Urina colore languide flavo non plane perlucida est, et aliquo tempore post sedimentum canum subsidit, in quo largiter corpuscula puris, epithelia ex canaliculis uriniferis et vesica urinaria inveniuntur. Epithelia canaliculorum omnia praebent degenerationis stadia, et infiltrationis adiposae et speciei corrugis; saepenumero etiam epithelia normalia observantur; adipose degenerata numero praevalent.

Cylindri fibrinosi, semper quidem in urina, non tamen magno numero existentes, aut tenues, lucem remittentes, plerumque nudi apparent, aut latiores, contorti, granulis impleti. Epithelia cylindros saepius tegentia, specie partim sunt granulosa, partim adipose degenerata.

Quod attinet ad mutuam albuminis et natrii chlorati multitudinem, non semper, quod saepe observatum est, animadvertimus, imminuta natrii chlorati quantitate albuminis auctam esse, et vice versa. Natrii chlorati quan-

titas per horas viginti quattuor Grammas 2 vel 3 vulgo non excedit, albuminis non Grammas 6, quae quidem multitudo pro rata parte minima eo magis est admirabilis, quo alias in nephritide intermittentem sequente albuminis quantitas vel adeo aucta esse solet.

Ureae secretio modum hoc in morbo vulgo observatum non excedit, quum per horas viginti quattuor aegrota Grammas 7—10 secernat.

Acidi urici quantitas ex inopinato usque ad minimam est reducta; item salium phosphoricorum.

Jam sequantur nonnullae urinae analyses demonstrantes, quanti sit multitudo albuminis, ureae, natrii chlorati et in partibus centum, et in urina per horas viginti quattuor secreta:

De albuminis in urina quantitate.

Die XIV. mensis Martii urinae per horas 24. multitudo = 1010 CC. pondus specif. = 1009.

Urinae CC. 20 miscentur guttis 2 acidi acetici; cocta colantur.

Pondus filtri solius calore 100° exsiccati = Grms. 19,519
Pondus filtri atque albuminis — — = Grms. 19,612

Continent igitur urinae CC. 20 albuminis = Grms. 0,093

Continet igitur urina albuminis 0,46 % et insunt in CC. 1010 = Grammae 4,646 albuminis.

De ureae quantitate.

Urina guttis nonnullis (ca. 2) acidi acetici mixta et coquendo albumine liberata colatur. Colaturae additur

dimidium voluminis barytae solutae, mixturaque iterum colatur.

Hujus colaturae CC. 15 = CC. 10 urinae albumine liberatae; quae ut natrio carbonico flava tingatur miscenda est hydrargyri nitrici soluti CC. 9,5 / 9,6 } 9,5.

Quum hydrarg. nitric. CC. 20 sufficiant ad saturandas Grammas 0,20 ureae, ergo hydrarg. nitric. CC. 9,5 sufficiunt ad saturandas Grammas 0,095 ureae; Continet igitur urina 0,95 % ureae, et insunt in CC. 1010 = Grammae 9,595 ureae.

De natrii chlorati quantitate.

Urina guttis nonnullis (ca 2.) acidi acetici mixta et coquendo albumine liberata colatur. Colaturae additur dimidium voluminis barytae solutae, mixtumque iterum colatur.

Hujus colaturae CC. 15 = CC. 10 urinae albumine liberatae acido nitrico miscentur ad eum finem, quod charta explorativa non alteretur. Ut hydrargyri nitrici solutio sedimentum efficiat durans opus sunt CC. 4,5 / 4,2 } 4,3.

Quum hydrargyri nitrici CC. 30 sufficiant ad complendas Grms. 0,20 natrii chlorati, ergo sufficiunt CC. 4,3 hydrargyri nitrici ad complendas natrii chlorati Grammas 0,0287.

Continet igitur urina 0,28 % natrii chlorati, et insunt in CC. 1010 = Grammae 2,828 natrii chlorati.

Urina, simili modo atque antea descriptum est, tractata hasce diversis diebus praebuit ureae, natrii chlorati, albuminis multitudines:

In partibus centum fuit quantitas

	ureae	natrii chlorati	albuminis
mensis Martii			
die XV.	0,82 Grm.	0,27 Grm.	0,285 Grm.
die XVI.	0,64 —	0,37 —	0,095 —
die XVII.	0,92 —	0,30 —	0,200 —
die XVIII.	0,95 —	0,46 —	0,575 —
die XIX.			0,325 —
die XX.			0,260 —

In urina totius diei fuit quantitas

	ureae	natrii chlorati	albuminis
mensis Martii			
die XV.	7,216 Grm.	2,376 Grm.	2,464 Grm.
die XVI.	7,360 —	4,155 —	1,093 —
die XVII.	8,372 —	2,730 —	1,820 —
die XVIII.	8,645 —	4,186 —	5,232 —
die XIX.			4,810 —
die XX.			2,236 —

VITA.

Natus ego sum O. A. F. Lenz Cussalini, die XIV. mensis Jani anni h. s. XLII, patre Joanne, matre Guilelma, e gente Rahn, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus adii gymnasium Neosedinense, quod tunc directore Roeder florebat. Unde testimonio maturitatis instructus tempore paschali anni h. s. LXI. almam literarum universitatem Gryphisvaldensem petii, ubi ab Ill. Hoefer, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Haeser, medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen rite professus sum.

Per octo semestria audivi disserentes:

Ill. Baier: de logice.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de herniis; idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis et in clinico chirurgico.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas rite concinnandi.

Ill. Budge: de osteologia, de myologia, de syndesmologia, de splanchnologia, de anatomia nervorum capitis, de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Ill. George: de psychologia.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica; idem mihi dux fuit in exercitationibus pathologicis practicis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia artis medicae.

Exp. Heineke: de morbis extremitatum, de syphilide.

Exp. Hertz: de histologia normali

Ill. Huenefeld: de oryktognosia.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica, organica; idem mihi dux fuit in exercitationibus chemicis.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Ill. Münter: de botanice, de zoologia.

Ill. Mosler: dux mihi fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de morbis mulierum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali, de morbis nervorum, de morbis psychiatricis, de auscultatione et percussione; idem mihi dux fuit in exercitationibus laryngoscopicis et in clinico medico.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice, de accommodatione; idem mihi dux fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis.

Ill. Schultze: de anatomia comparativa, de osteologia, de angiologia, de neurologia.

Ill. Ziemssen: de pathologia et therapia generali.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago maximas, semperque habebo.

THESES.

I.

Balneum tepidum, quod involutionibus lanosis excipiatur, efficacissimum esse diaphoreticum.

II.

Rarissime infantem, qui stante matre nascatur, cadendo humi necari.

III.

Clamum linteum (Tampon) effuso in cavo uteri sanguine nunquam adhibendum esse.